

Nihil porrò de ipsis **Hominibus** integris **Petrefactis** addam, nihil de **Lignis lapideis**, **Coraliis semifaxeis** jam & partem adhuc lignosis: nihil de **Fungis lapideis**, quales ex Italiâ allatos tum Excell. Dn. MAURITIUM HOFMANNUM PROFESSOREM Noricum Amplissimum Amicumq; ejus, profundissimæ eruditionis Virum, Dn. D. VOLCKAMERUM, tenere suspicor, tum ego duos in supellectili meâ teneo, alia vice plenè describendos: aut ex TORELLI SARAYNÆ Historiâ Veronensi Italicè conscriptâ ALEXANDRO ab ALEX: (lib. 5. gen. Dier:) FAB. COLUMNA (observat. Aquatil. & Terrestr. cap. ni fallor 21. p. 44.) ALDROVANDO (lib. 4. Musei Metall. c. 62. p. 819.) aut aliis, de **Echinis** videl. marinis, paguris, stellis piscibus, cochleis, ostreis, mitulis, tellinis, aut spinis piscium, intra montes olim, & forsan jam prisco Diluvii tempore eò delapsis, posteaq; intercedente longissimo seculorum tractu in lapidum quemadmodum naturam, sic duritiem mutatis:

*item Homines integri.*

*Testaceæ & Crustaceæ varia.*

Nihil de **Piscibus**, **Canibus**, **Lacertis**, rebusvè aliis, miraculose propemodùm, aut insolenter certè, intra media lapidum viscera repertis, ut obscurum, ac grave dictu sit, quâ viâ ac ratione, in ipsa, ut ita dicam, **Marmorum viscera**, & occlusos eorum undiq; parietes, devenerint, prout narrantur conchæ aliqvæ etiam ac genuinæ ostreæ, medio marmoris inclusæ, posteaq; in **Thessaliæ** ac **Hæmonia** lapidicinis adinventæ, & anguis integri corpus tempore Urbani VIII. Pontif. repertum Romæ, & corpora alia, quorum speciosum Catalogum dabit indubie Magni **Mundus subterraneus KIRCHERI**:

*Animalia intra medias petras reperta.*

Essetq; incidenter proinde etiam aliquid de muscis, apibus, formicis, culicibus, vermiculis, lacertis, araneis, gramini- bus item ac stipulis, succino inclusis aliquid monendum; de quibus singularem opinionem vide sis apud celeberr. D. JOH. DAN. HORSTIUM (observat. Anat. 2. p. m. 10.) existiman- tem, non inesse vere talia Succina, sed apparere tantum, & orta esse ex peculiari impressione cœli, cujusmodi sive phasæ sive vera corpora certè rariora sunt, nec observata hætenus in succino nostro **VVittenbergensi**, **VVittenbergensi** inquam. Nam & hic, quo in loco hæc scribo, vivente adhuc Conjugis meæ Avo **Fami-**

*Corpuscula Succino inclu- sa;*

*Succinum VVittebergæ ebulliens,*

C

gera-